


Świątkowski Andreas Michaëlis: Laurea Appollinaris sacro honori D. M. Matthiae Brojecki dedicata.



LAUREA APOLLINARIS

Sacro Honori,

Clarissimi & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. MATTHIÆ PSOIECKI,

Collegæ Maioris, Protonotarij Apostolici, Canonici S. FLORIANI; CUSTODIS Iarosłauiensis, Curati Niepołomicensis, &c.

DUM

In Alma Vniuersitate Cracouien: Primam Cathedræ Theologicæ Professionem AUSPICARETUR

In Argumentum Debitæ venerationis

AB

ANDREA MICHAELE SWIĄTKOWSKI,

Artium & Philosophiæ Baccalaureo.

DEDICATA.

Anno

Martia qVanDo LegIt VICtrIX eX hoste trophæa
Lechia Bisthonio: Rege IOANNE potens.

Die 29. Nouembris.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

LAUREA APOLLINARIS.

CÆliuagas imitata faces, imitata potentum
Diuitias ac sceptra Ducum, celebresq; labores
Semper in Auge locans, summis & honoribus apta
LAVREA; Cyrrhæum redimire assueta Magistrum
Dum mea plectra subit, proprioq; coronat honore
Exiguos modulos: Sacra de rupe propinquum
Ferte Deæ numen; date vela; impellite remos;
Quo facilis, Phæbo suetam, transferre per altum
Laudum æquor valeam, similiq; locare Coronam
Fronte super merita: tenuem seruate carinam
Vos modo Pierides, tantoq; adsistite cæpto.
Dædala quidquid alit gremio telluris in amplo,
Et resonet natura Parens cum numine Diuum;
Quidquid & æquoreis seruat Neptunus in vndis,
Aut nitidis late diffusus in orbibus æther:
Quidquid & ignicomus radianti lumine Titan
Collustrat; roseis cælos dum lustrat habenis,
Ore serenato magnæ dans basia matri:
Omnia præcipiti primos glomerantur in ortus,
Et rapido cursu, tristi cogente senecta,
Dura licet longo consistant tempore saxa,
Aut quæ magnorum fuerant monumenta virorum,
Herculeos ausus, celebremq; notantia Famam
Marmora, Pyramides, sectiq; adamante Colossi;
Construit his etiam tumulos, longæua vetustas,
Et tumulis addit tumulos; cogitq; taceri
Gloriam, & Authorum vestigia nulla relinquit.
Ipse cüi immortale genus de munere Diuûm
Parte sui meliore vacans homo; fata subire
Cogitur; & rigidæ crudelia funera Parcæ
Sustinet, indomitæ Lachesis translatus in arua
Dura tenebrosæ patitur retinacula sedis.
Quid tantis igitur soluet se casibus? aut quid
Se eximet horrificæ cladi? cum dente vetustas
Omnia consumit rabido: ceu sthrutio ferrum.
Inclita facta viros & recti sacra cupido
Iustitiæq; decus, digna & reuerentia Diuûm
Extollunt super humanam mortalia sortem
Pectora, nec fatis quidquam mortiq; relinquunt
Arbitrij, illorumq; mori haud patiuntur honores.

Nomen in æternum, & consortia sacra Tonantis,
Gratius & si quid valeat mortalibus esse
Sidere cum fama, doctis mens ignea donat.
Excedit cunctas etenim sapientia metas
Limitibusq; caret, semper cûi nomen opimum
Fama litat; sternitq; suos sub poplite Fasces.
Illa serenatâ quenquam sua munia fronte
Si tractare videt; pariter complaudit amico
Pectore mox illi; magno ductumq; fauore
Plebe super reliqua vehit ad conuexa Deorum;
Cælicolis redditq; pares, similesq; Tonanti:
Quo nisi prisca canit sapientem musa minorem.
Hinc ego Diuinos tibi posthac Augur honores
Ominor, æthereæq; Domûs consortia Diuûm
PSOIECKI, cuius clarum sapientia pectus
(Herculeo quæ se tibimet deuinxerat auro)
Incolit; atq; sui pretio commercia pensat.
Iamq; remota tuæ celebri præconia menti
Regna canunt, magnoq; Tibi famulantur honore:
Et prior in reliquis Doctorum plena virorum,
Pace vigens, belloq; potens Hispania: postquam
Publica Sarmatici peragentem munia sceptri
Audijt: Hyblæo saturatas nectare voces
Credidit admirata tuo sub corde latere
Nestora dulciloquum; aut quẽ nũquam Roma Parentẽ
Eloquij venerata satis; dulcemq; Platonem.
Hinc tua dexteritas, & mellea gratia fandi,
Principis illius meruit præconia gentis;
Quæ data Lechæo testatur Epistola Regi.
Magna quidem sunt hæc; verùm maiora canemus
Præmia digna tuæ vir præstantissime menti:
Namq; vbi Liligeras primùm peruadere terras
Intentas; summam Regni delatus ad vrbem;
Illico sponte tuæ defertur LAVREA fronti;
Scilicet in proprium Iuris prudentia, cum Te
Doctorum, terris celebratum, computat Album.
Pergite Pierides Lauri redimire corymbis
Emeritam frontem, cytharasq; aptate sonoras;
Et benè compositis Lesboa ad carmina chordis
Vlteriùs cantate virum; qui nempe columnas
Herculis emensus, proprio PLVS concinit VLTRA
Insigni genio, minimé contentus opimis
Laudibus, immenso quas iam collegerat orbe.
Nam sua Laurigerum virtus bene nacta phasellum,
SRENIAVIO externas repetit dum gurgite terras,

Magnarum pretiosa vehens cimelia laudum
Lechæo prognata solo, quæ carius omnis
Ausonia obryzo fuerat mercata metallo.
Hinc bene Romanas vix dum deductus Athenas;
Ipse Pater flauis Tyberinus plausit in vndis,
Oraq; cæruleâ tollens rorantia barbâ,
Optabat similes cunctis ex Orbibus Vrbem
Hospitio coluisse viros, tandemq; precatus
Quo sua Laurigero, Vrbs illum decoraret honore.
Omen habet votum; cunctis sapientia namq;,
Virtus, & varijs quæsita Peritia terris
Cognita: digna dari meritorum præmia plenis
Decreuit manibus: Diuina scientia moxq;
In proprio censet numero, cum murice vestit,
Doctoremq; creat, LAVRO donatq; virenti,
Purpureis Patribus, toto & spectante Senatu.
Ispe etiam summus Romani Præses Honoris
Ausonij Dominator Agri, quem nulla NOCENTEM
Sæcla canent, triplex redimit cûi Infula sacram
Et meritam frontem; tantas stupuisse refertur
Ingenij ac animi dotes, & laudibus amplis
Exornasse solum, quod talia germina gignit.
At Tibi qui caneris, genij Vir Maxime magni,
Vt quid erat tantos orbis peragrare recessus?
Præcipitando optatam in multa pericula vitam.
Numquid non poterat similis tibi LAVREA, tanto,
In gremio Patriæ, sine prouenisse labore?
Quæ tua perpetuis cinxisset tempora vittis,
Nec cariem sentire tuum liquisset honorem.
Sed quæ stelligeris exorta penatibus, vrget
Sublimes animas per summa cacumina virtus;
Vt post difficiles insigni calle labores
Deuehat emeritos super alti culmen honoris:
Addidit atq; Tuæ stimulum & calcaria menti,
Pensatura tuos vitæ per lustra labores.
Huic tu fide Deæ; scit non ea fallere Diua;
Incipit ecce tuos in se decorare fauores;
Dum facit Augustal Sacrum te scandere dextris
Auspicijs; super atq; tua dum LAVREA fronte
Fronde nouâ reuiret, qua Res Academica toto
Dignius haud quidquam possit producere mundo.
Perge igitur faustis auibus, votisq; secundis,
Delicium Patriæ, Phæbi, suadæq; voluptas,
Plurima & auratis, deducens sæcula pensis.
Diuinæ Cathedræ tandem sis alter AQVINAS.

